FACVLTATIS MEDICAE DECANI

IO. HADRIANI SLEVOGTII

MED. D. ANAT. CHIR. ET BOT. P. P. ITEMQVE
MEDICI DVCAL PROVINC.

INVITATIO

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

HYDROPE

CVI HISTORIA

EQVI LAPIDICACI

PRAEMITTITVR.

IENAE d. VII. Ian. M DCC XIV.

LITTERIS MVLLERIANIS.

28 29

Q. D. B. V.

FACVLTATIS MEDICÆ DECANVS
I. HADRIANVS SLEVOGTIVS
L. B. S. P. D.

QVi, vel amplificandæ Philoſophiæ naturalis cauſa, analogiam *majoris mundi* cum *minori* curioſa indagine & data opera ſcrutantur, aut incomprehenſibilem ſummi rerum omnium Creatoris ſapientiam demonſtraturi, utili ac pio conamine, potiores *microcoſmi* partes atque machinas,cum vaſtis *macrocoſmi* corporibus comparare laborant, utique in hominis ſtatu *naturali* ac *præternaturali* multa inveniunt, quæ cum mundo aliquam ſimilitudinem oſtendunt. Ex multis pauca inpræſentia nominaturis, primo ſtatim loco *anima* occurrit, quæ vivificos humores, & per hos ſolidas ſentientes moventesque fibras, hinc oſſa & artus ad motum incitando, ætheri,univerſali iſti ſublunarium impulſori, paria facere videtur: ſicuti nec ſubtile iſtud fluidum, ex ſangvine, per continuatam in corde, vaſis,atque cerebro rarefactionem,exſurgens, quod ſpiritus vitales atque animales vocant, blando ſuo aut impetuoſo influxu, a ventorum placido afflatu ac tumultu procel-

lo-

loſo abludere palam eſt. Taecmus ſiderum, maris & fluminum, cum oculis, & cruoris generationi atque circulationi velificantibus organis, aliarumque animantis partium cum inanimatis comparationem.

Quod præternaturalem utriusque mundi ſtatum attinet, egregium ſimilitudinis exemplum clarisſimi ſummorum in Medicina honorum Candidati,

IOANNIS GEORGII CRAMERI

Isnacenſis. Phyſici Provinc. Waſungenſis extraordinarii, diſſertatio inauguralis de HYDROPE nobis exhibet: ubi commodam occaſionem haberemus, vitioſam lymphæ evagationem, & inde ortam lethiferam viſcerum inundationem, cum illætabili ſpectaculo macrocoſmi comparare: quando ingentes terræ tractus mari atque fluviis, ſua littora & aggeres tranſilientibus, ſubmerguntur. Sed quo minus huic themati immoremur, fit partim, quod ſolerter elaborata diatribe naturam atrocis affectus dudum plenisſime expoſuerit, partim vero, quod inclytus Candidatus aliam nobis materiam proloquendi ſuppeditaverit, *lapides* ſcilicet, *in equi ventre generatos & per alvum cum excrementis* redditos.

Amplisſimum certe h. l. lithogeneſias campum ingredi poſſemus, & occaſione lapidum, in terra, aqua atque nubibus, ex fluida materia in maſſam ſolidam, plus minus duram, terream, ſalinam, ſulphureamque coagulatorum, rationes invenire, cur in regno vegetabili pariter arborum lignea, herbarumque pulpoſa ſubſtantia in lapideam mutetur, ac in animalibus tot Meduſæi capitis effectus occurrant, ut non ſolum intra corporis partes calculi naſcantur, ſed integra quoque corpora, ne fœtu in utero quidem excepto, in ſaxeam duritiem obrigeſcant:

ſed prolixior eſt hæc doctrina, quam ut anguſtis Proluſionis terminis includi poſſit, dudumque aliorum docta ſcripta diſcendi cupidis evolvenda proſtant. Inter quæ Franci diſſertatio de calculis microcoſm. & Sigismundi Regis ſpecimen Lithogenes. hac vice nominanda veniunt. Ibi enim legere datur, in cerebro, oculis, naribus, (*ex quibus, ſed vaccinis, polypum ſaxeum, duos pugnos æquantem, poſſidemus*) pulmonibus, hepate, inprimis autem in veſica fellea (*ex qua in theatro publico magnum numerum, piſa æquantium, fuſcorum læviumque calculorum extraximus*) ventriculo, inteſtinis, renibus, utero, placenta, ipſisque ſangviferis vaſis, & ulceribus, lapides repertos fuiſſe, multosque eorum nullam vivendi moleſtiam creaſſe, plurimos autem infelicis vitae & properatae mortis autores evaſiſſe, nec paucos etiam a natura ipſa ſalubriter per conſveta & minus conſveta emunctoria, naſum, œſophagum, tracheam, genitalia, alvum &c. expulſos eſſe. Sunt autem, poſt urinæ vias, frequentisſimae lapidum excretiones per alvum Practicis annotatæ, collegitque Simon Schulzius, Eph. Germ. Dec. I, An. 3, obſ. 136, & Luc. Schrœccius, An. 9, obſ. 90, prolixum catalogum autorum: quibus adhuc plures ſuperiorum temporum jungeremus, ſi inſtitutum noſtrum id permitteret. Vt proinde tantum quorundam recentium, ibi nondum memoratorum, mentionem facere liceat. Inter quos Eph. Germ. Dec. II, An. 5, obſ. 197 Chr. Ern. Clauderi; An. 7, obſ. 136 Lentilii, nec non obſerv. 202. Grundelii, & obſ. 244 Ioh. Maur. Hoffmanni; hinc An. 9, obſ. 137 Zwingeri: una cum Dec. III, An. 3, obſ. 21 Ern. Sig. Grasſii, & Append. An. 7 & 8, p. 71 Dethardingii lectu dignas arenarum & calculorum, variæ magnitudinis, per infimum ventrem exeuntium, hiſtorias complecti videmus. Quibus virginem *calculicacam* Bernenſem, a Zwingero Io. Iacobo Hardero oſtenſam, & in huius Apiarii obſ. 80, p. 309 deſcriptam, illosque lapillos albos, ex noſtrate virgine, ante aliquot annos maligna febre laborante, prode-

un-

untes annumerare placet: unde tranſitum ad eos lapides faciemus, quos bruta generant. Idque ea ſub conditione, ut ne verbo quidem in Bezoardicis Capris orientalibus pariter ac occidentalibus reperiundos attingamus, aut quos hiſce ſimiles, teſte D. Gabriellio, Ephem. Germ. Dec. III, An. 7 & 8, obſ. 191, Capreoli ſylveſtres alunt, aut porci Malacenſes & Hiſtrices ægrotantes, ſub Pedra del Porco appellatione, alunt, ſuesque noſtrates ex umbilicis, boves ex veſicis bilis, cervi annoſi ex ſtomacho, ſerpentes nonnulli, cum percis & ſoleis, ex capite, cancrique ex ventre officinis porrigunt, deſcribamus; ſed, inſcriptioni Proluſionis inhæſuri, ad ſolos Equos ſermonem noſtrum reſtringamus, viſuri, quosnam ex ipſis lapidiferos fuiſſe innotuerit.

Primo autem merito loco ex illis memorandus eſt, quem illuſtris Wedelius, Waſungæ ex equo exciſum, Ephem. Germ. Dec. I, An. 3, obſ. 246 deſcribere, ſimulque delineatum dare voluit. Cum inde ortum talismodi ſubſtantiarum ex liquore, & modum inſuper lamellatim accreſcendi clare perſpicere liceat. Plura talis modi corpora, Hippolithorum nomine venientia, ex Iordano & Schwenkfeldio, in Theſauro pharmac. Schröd. una cum lapide ex Equo Hiſpanico, prope Francofurtum diſſecto, citantur, quorum numerum D. Valentinus, in Muſæo Muſæorum, p. 439, unico, ſibi ex equo mortuo tradito, & duobus aliis, Argentorati in Muſæo Brackenhoferiano ſpectandis, auget. His accedunt undecim alii, ovum æquantes, in inteſtino colo equi Turcici reperti, quem D. Stegmannus, Eph. Germ. Dec. III, An. 1 & 2, obſ. 230, toties in furorem quaſi actum ſcribit, quoties fæces ſiccisſimas & pulverulentas expreſſerit.

Sunt hi, & tantum non omnes reliqui lapides ex mortuis, & maxima ex parte morboſis animalibus depromti, ideoque illis poſtponendi, qui, a vivis & ſanis excreti, pluribus numeris perfectiores videntur. Tales fuerunt

ab equo Leiningenſe, teſte Valentino, loco citato, editi. Tales quoque nos ad ſcribendum impulerunt. Habent hi communem cum aliis, hactenus deſcriptis, ſubſtantiam, ipſis Bezoardicis etiam familiarem, ex lamellis compoſitam, non admodum duram, quin limæ & ſerræ cedant, præbentque pulverem non admodum albicantem. Facies externa eſt polita; coloris, qualem viſcera, hepar & renes cocta exhibent. Figura irregularis, tetraedrica in polyedricam deſinens. Magnitudo non eadem omnibus; plerisque ovo Gallinaceo ſimilis; in nonnullis major, minorque in aliis: cum Waſungenſis pondus fere XIV, unus ex Argentoratenſibus XLV unciarum habuerit. De numero nil certi conſtat: cum per aliquot annos ejusmodi partus lapidum duraverit, & per intervalla 8 vel 10 dierum, tres eorum vel quatuor emerſerint. De virtutibus nondum quicquam definire licet, quo ſcilicet jure *Bezoar equinum* (Valentinus etiam *Mulinum* habet, p. 438,) appelletur. Sapor enim tantum terreus eſt, & odor quidem, dum lamellæ conteruntur, emunctioribus naribus acre quid ſpirare videtur; vt indicium latentis ſulphuris ſalisque volatilis exhibeat: cujus efficatiam tamen experimenta in poſterum declarabunt.

Nos in præſentia, ad ſcopum properantes, breviter natales & ſtudia Candidati noſtri exponemus. Quippe Patriam habet Iſnacum, ſplendidam Sereniſſimor. Saxoniæ Ducum ſedem, ubi ab honeſtis parentibus, Dn. Io. Chriſtiano Cramero, laudatisſimo Chirurgo, & Maria Eliſabetha Brandauenſi, dudum inter cœlites recepta, A. O. R. MDCLXXVI, d. 7 Febr. editus eſt, qui ipſum, quam primum præcepta pietatis & liberalium artium animo haurire potuit, idoneis informatoribus commendaverunt. Inter quos *Dn. Chriſtoph. Cramero*, Patrueli ſuo, nunc Paſtori; *Dn. Heinrico Hardtio*, Conrectori; beatoque *Heinrico Börſtelmanno*, Rectori; *Dn. Georgio Sebaſtiano Gœbelio*, Aulico Concionatori

Co-

Comitis de Kirchberg, & Paſtori Farnrodenſi, Affini ſuo, ſe obſtrictisſimum fatetur. Literis junxit Chirurgicæ artis notitiam, ſex domeſtico & quotidiano exercitio nullo labore addiſcendam: cujus fructum in Praxi Medica hactenus ſaluberrimum deprehendit. Anno MDCXCVII, menſe Majo, a Rectore magnifico, B. Poſnero inter noſtræ Academiæ cives receptus, poſt ſedulam frequentationem acroateriorum Poſnerianorum, Hebenſtreitianorum & Hambergerianor. Phyſicam, Logicam, Methaphyſicam & Matheſin tradentium; famigeratisſimum Medicum, D. D. GEORGIVM WOLFFGANGVM WEDELIVM, Hered. in Schwarza, Theor. P. P. Com. Palat. Cæſar. Conſiliar. & Archiatr. Sax. excellentisſimum, publice partim, partimque privatim Inſtitutiones, Pathologiam, Mat. Medicam & Caſus Timæanos ſolidisſime explicantem audivit. Nec ſcholas B. D. D. ERNESTI HEINRICI WEDELII Prof. extraord. Med. Prov. Vinar. & Poliat. Ienenſ. celeberrimi, in aphoriſmos Hippocratis & inſtitutiones examinatorias adire unquam temere neglexit. Haud leve quoque ſuis ſtudiis incrementum ex informatione celeberrimorum Fridericianæ Academiæ Profeſſorum, D. D. HOFFMANNI atque STAHLII accesſiſſe, gratisſimo pectore agnoſcit. Mihi ſemper adfuit, ſive publice ac privatim diſciplinas Profesſionis meæ explicarem, inque theatro Academico utriusque ſexus corpora diſſolverem, ſive, ratione, Phyſicatus, iudiciales ſectiones inſtituerem, ſive denique ægrotis auxilia chirurgica adminiſtrarem. Vbiq; enim haud ſemel ingenii ſui alacritatem, manuumque in trypanatione aliisque operationibus promtitudinem exhibuit. Præter hæc ad Praxin clinicam fideli manuductione B. D. D. IVDELII, noſtratis Phyſici uſus eſt: qua etiam Iſnaci a D. D. HEIMREICHIO, Medico ibidem experientisſimo, tanto cum ſucceſſu per integrum annum frui licuit, ut

non

non ſolum in patria praxin ipſam auſpicari, ſed poſtea etiam Tannæ per novem annos feliciter exercere potuerit. Hactenus a Sereniſſimo Duce Meiningenſi, Domino noſtro clementiſſimo, officio Phyſici extraordinarii ornatus, a noſtra Facultate honores & privilegia Doctoralia decenter petiit, &, ad ſpecimina admiſſus, dignus habitus fuit, cui cathedra patefieret. Conſcendet eam d. 11 Ian. ſub præſidio magnifici Dni Pro-Rectoris: quapropter, vt magnificus Dn. Ex-Pro-Rector, Proceres Academiæ, omnium ordinum Hoſpites, omnesque ſalutari arti faventes, actum hunc ſua præſentia celebrare velint, eſt, quod nomine Collegii Medici officioſiſſime, obnixe & amanter peto. P.P. ſub Sigillo Facultatis, d. 7. Ian. MDCCXIV.

L. S.